

dicti Monasterii interesse dicebat ipsum instrumentum authenticatum habere *etc.* Cuius predicti Instrumenti tenor per omnia talis erat. § . . . Anno Incarnationis domini nostri iesu christi Millesimo ducentesimo octuagesimo septimo dominantibus Magnificis viris domino Gerardo venerabili Sabinensi Episcopo. Apostolice Sedis legato. et domino Roberto Atrebatensi egregio Comite. Regni Sicilie Baiulis per Santam Romanam Ecclesiam constitutis. Eorum domini anno tercio. Mense Aprilis die vicesimo quarto eiusdem quintedecime Indictionis aput Botontum. Nos Iohannes de florio Regius Botonti Index. Gregorius eiusdem terre Notarius et testes subscripti licterati *ect.* declaramus. quod Accersitis ad presentiam venerabilis patris domini Leucii Episcopi Botontini in sua Curia commorantis. Invenimus ibidem venerabilem patrem dominum Angelum Episcopum Melfitensem. et Religiosum virum fratrem Goffredum abbatem monasterii montis sacri. ad invicem altercantes. Nam dictus Melfitensis Episcopus asserebat. quod Ecclesia Santi Iacobi de Comite. cum omnibus bonis suis. Iuribus et pertinentiis sitam in melfitensi diocesi ad dictum monasterium pleno Iure spectantem. tenere. possidere et usufructare debebat. usque ad duodecim Annos completos. pro Centum quinquaginta uncias auri mutuatis et expensis per eum de suo proprio in Recuperatione predictorum bonorum dicte Ecclesie tunc per Regiam Curiam detentorum. Ad quas etiam uncias per dictum Botontinum Episcopum. ex commissione sibi a predicto domino legato facta. dictum Monasterium sentencialiter fuerit condemnatum. Duodecim uncias auri et dimidia excomputandis quolibet anno de quantitate predicta. Ita quod eadem quantitas exauriretur usque ad numerum annorum duodecim predictorum. et usque ad idem tempus annuatim dare debebat ipse Episcopus uncias auri sex. dicto Monasterio in festo Santi Andree pro censu predictorum Bonorum. subituram decimam. pro curacione legatorum. et nunciorum Aposto-